

talís apparentia boni, et convenientia ejus oritur ex diversa dispositione subjecti. Nam qui peccat ex passione taliter est affectus, et dispositus, quod ex passione deducitur in illud malum sub apparentia boni sensibilis, sive delectabilis, sive utilis; ex vehementia enim passionis illud malum, seu peccatum, bonum sibi et conveniens apparet hic et nunc. Qui autem peccat ex certa malitia, apparet sibi bonum illud, quod eligit, non ex vehementia passionis, sed ex consuetudine peccandi, vel ex aliquo priori peccato, aut prava dispositione, ex qua de industria movetur ad alia peccata, sicut ex invidia movetur aliquis deliberate, et de industria ad impugnandum proximum, vel propter suam libertatem, aut vanitatem ostendendam vult peccare de industria. Videatur D. Thomas citata quæstione LXXVIII, articulo primo ad tertium. Cæterum omnibus istis modis semper fertur aliquis in rem malam sub aliqua ratione boni ex parte objecti, quatenus sibi bonum apparet, et sub tali apparentia proponitur, sive illud sic appareat bonum ex aliqua vehementia passionis allicientis, sive ex aliqua consuetudine, et inclinatione voluntatis, vel aliqua alia causa ex industria quæsitâ, ut volita, et ob libertatem, vel præsumptionem ostentandam, aut ex animo obfirmato circa aliquid, ne videatur retrocedere. Vocatur autem peccatum ex malitia, quia oritur inclinatio illa ex prava dispositione voluntatis, non ex vehementia passionis.

XVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod ut bene advertit Cajetanus super illum locum, aversio sumitur dupliciter. Uno modo pro aversione formali, alio modo pro objectiva. Formalis aversio est recessus ab aliquo fine, seu termino a quo, et prout exercet talem recessum,

dicitur formalis aversio, id est, formalitatem aversionis habere, et sub illa considerari. Et secundum hanc considerationem aversio formalis, etiam in peccatis contra virtutes theologicas, non specificat, nec est principaliter intenta, quia non se tenet ex parte termini ad quem, sed a quo. Non specificat autem, nec habet rationem formalis causæ, terminus a quo, sed ad quem; quia ille relinquitur, iste assumitur, et intenditur. Aversio autem objectiva est quando ipsum averti, et recedere a Deo consideratur ab aliquo ut objectum, et ut bonum sub aliqua apparentia, et sic accipitur pro objecto, et intenditur, quia ita pessime est dispositus circa Deum, et ita illum contemnit, et male sentit de ipso, quod reputat sibi bonum, et conveniens tali Deo sic apprehenso non subjici, sed ab eo recedere, aut contemnere, vel blasphemando, vel non credendo, aut odio habendo, juxta illud Job xxxiv: *Qui quasi de industria recesserunt a Deo.* Et talia sunt peccata contra virtutes theologicas. Cum enim istæ virtutes habeant Deum non solum pro fine, sed etiam pro objecto, opposita vitia respiciunt pro objecto ipsum recessum, et contemptum Dei. Sed tunc ille recessus, et illa aversio vestitur aliqua ratione boni, quatenus Deus apparet ut sibi tædiosus, et gravis, et onerosus, et sic incipit illum excutere a se, sicut ille qui dicebat Matth. xlv: *Scio quia homo austerus es tollens quod non posuisti, et metens quod non seminasti.*

XVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod quando aliquis facit bonum opus ex malo fine, ille malus finis representatur sibi tamquam quoddam bonum, et conveniens, licet falso, et apparenter: sicut qui facit eleemosynam propter vanam gloriam, hæc apparet sibi tamquam aliquid amplum, et hono-

rificum, et plausibile, quod valde delectabile, aut etiam pro aliquo consequendo, sibi videtur.

XIX. Ultimo arguitur: Quia aliqui se ipsos occidunt, et odio habent, et etiam Deum: in his autem nihil boni apparet propter quod talia diligant, sicut mors propria non habet unde diligatur, cum vivere quoad specificationem necessario ametur, si quidem nihil mali in se habet: ergo tollere vitam non potest diligi sub ratione boni, cum tollat id in quo nihil apparet mali. Similiter Deus si apprehenditur sine errore ut summum bonum, et sic odio habetur, habebitur odio in quantum bonum, quod est non minus inconveniens, quam velle malum sub ratione mali. Vel apprehenditur cum errore tamquam non summum bonum, et sic non posset esse odium Dei in voluntate sine errore in intellectu, quod est falsum, quia aliquis non hæreticus, neque infidelis potest Deum odio habere.

XX. Respondetur quod ut diximus in libris de anima, quæstione XII, articulo IV, qui se occidunt, vel odio habent materialiter volunt non esse, formaliter autem aliquale esse volunt, quia ratio formalis volendi est carere miseria, et malo. Itaque non volunt non esse absolute, sed non esse sub miseria, et pœnalitate, et sic odio habent vitam non absolute, sed ut subjectam miseriæ, quam fugiunt. Similiter Deus habetur odio non ratione sui, sed ratione effectuum, quos facit, et nobis displicent, verbi gratia, quia nos ab illicitis retrahit, aut etiam punit, et castigat, non autem quatenus est in se summum bonum, et principium totius esse. Ad hoc autem non est necesse, quod in intellectu sit error per modum infidelitatis, et incredulitatis, sed sufficit quod per modum inconsiderationis, qui est error practicus, et imprudentialis, quatenus videndo Deum inferre illos effectus, qui nobis displicent, consideramus illum præcise ut illatorem mali, non ut fontem totius boni, et esse, et inferentem malum secundum omnem justitiam, et veritatem, et ex tali practica inconsideratione nascitur in nobis displicentia de Deo, sic inadæquate considerato, sine aliquo errore in credendo, qui pertinet ad errorem quasi speculative.

## ARTICULUS II.

*Utrum finis sit adæquatum objectum voluntatis; an etiam media?*

I. In duplici sensu possumus hanc quæstionem disputare. Primo, supponendo non posse dari aliquem actum in voluntate, qui non versetur vel circa finem, vel circa media. Qua suppositione stante, difficultas consurgit, an objectum voluntatis sit aliquid abstrahens a fine, et mediis; an vero solus finis sit objectum, eo quod solus habeat bonitatem, media vero non sint objectum nisi ratione finis, et bonitate ab ipso derivata, et participata, ita quod quando diligitur finis, formale, et totale objectum sit ipsa bonitas finis quæ participative diligitur in mediis: sicut coloratum dicitur adæquatum objectum visus, quia et si videatur substantia, et quantitas, et motus, etc. tamen hæc omnia non videntur, nisi prout subjecta colori, et sub ejus formalitate. Secundo, potest disputari ista quæstio sine tali suppositione (videlicet quod omnes actus versentur circa finem, vel media) sed de ipsa suppositione dubitando, et inquirendo, an revera ita sit, quod omnes actus adæquate versentur circa finem, et media; an vero detur aliquis actus neuter, qui nec circa finem, nec circa media,

versetur. Si enim talis actus datur, oportet ita componere objectum voluntatis adæquatum, quod involvat aliquid præter finem, et media, cum voluntas ipsa per aliquem actum versari possit circa aliquid, quod neque finis sit, neque medium; prius ergo quæstionem in hoc secundo sensu disputabimus; deinde in primo.

NON DARI IN VOLUNTATE ACTUM NEUTRUM.

II. Scotus in I, distinctione I, quæstione III, affirmare videtur dari in voluntate actum neutrum, qui nec sit circa finem, nec circa media. Et sunt qui negent hoc sensisse Scotum, sed ei imponi a Cajetano, et Thomistis; solumque dixisse Scotum dari actum medium inter fruitionem, et usum. Quod sentit Vazquez hic disputatione XXXII, capite I, et sequitur Lorca circa hanc quæstionem VIII, articulo II, et Montesinos hic disputatione XII, quæstione III. Cæterum qui attente Scotum legerit, plane cognoscat nihil ei imponi a Cajetano, sed in eum sensum, quem Cajetanus dicit, Scotum inclinare. Ponit enim Scotus differentiam inter actum intellectus, et voluntatis, quod in intellectu non potest esse aliquis assensus, qui non sit vel circa principia, vel circa conclusiones, quia nulla est evidentia ex parte objecti media inter has duas. In voluntate autem dicit, quod est aliquis assensus medius, quia potest ostendi voluntati aliquod bonum, nec propter se absolute bonum, nec propter aliud; et circa tale bonum, seu objectum potest habere aliquem actum, quem ibi vocat actum neutrum, quia nec est actus volendi bonum propter se, qui dicitur fruitio, nec volendi bonum imperfectum propter aliud, qui dicitur usus. Quare

licet Scotus loquatur de actu medio inter fruitionem, et usum, tamen nomine fruitionis comprehendit omnem actum, qui versatur circa finem seu circa bonum propter se, et nomine usus omnem actum, qui versatur circa media, seu circa bonum propter aliud. Non ergo Cajetanus illi imponit, quod actum neutrum affirmaverit dari, qui esset medius inter actum, qui est circa finem, et qui est circa media, cum ponat illum medium inter bonum propter se, et bonum propter aliud, licet illum qui est circa finem vocet fruitionem, qui est circa bonum propter aliud usum. Dicendum ergo est, quod actus neuter, id est, medius inter actum, qui est circa finem, et qui est circa media, nullo modo datur, quocumque nomine isti actus appellentur. Ita communiter expositores D. Thomæ super hanc quæstionem VIII, articulo II, et ipse etiam Vazquez in hoc sensu amplectitur hanc sententiam loco citato, articulo tertio. De ea videri potest Cajetanus hic quæstione octava, articulo primo, et Martinez ibi super articulum secundum, dubio primo, et auctores alii supra citati. Et pro fundamento conclusionis tradendo advertit, quod actus circa finem potest dupliciter intelligi. Uno modo absolute sine aliquo ordine ad media, nec exercendo finalizationem circa illa: alio modo respective ad media, quatenus finis diligitur ut assequendus per media, et cum ordine, et causalitate ad ipsum. Quando ergo dicimus omnem actum versari circa finem, vel circa media, sumimus finem in tota sua latitudine, tam absolute, quam respective, non pro fine tantum, ut exercente causalitatem suam erga media. Si enim sumatur attingentia finis solum ut finalizantis, et respective se habentis ad media, clarum est quod non omnis actus est

circa finem sic sumptum, aut circa media; potest enim dari actus circa finem absolute sumptum, et nondum ut finalizantem, ut patet in simplici voluntate finis, in qua non cogitatur de mediis, nec de respectu finis ad media, sed solum ipsa bonitas finis secundum se diligitur, et ratione sui sine alio respectu. Aliud est ergo, quod possit dari actus medius inter actum circa media, qui est electio, vel usus, et inter actum, qui est circa finem per modum intentionis; aliud quod non possit dari actus, qui non sit circa media, nec circa finem in tota sua latitudine, etiam includendo simplicem voluntatem finis, id est, sive finis absolute consideretur ut amandus in se, sive respective ut amandus cum ordine ad media. Hoc secundo modo dicimus non dari actum, qui non sit vel circa finem, vel circa media; non primo modo.

III. Conclusio ergo sic explicata certa est, et ejus fundamentum sumitur ex eo quod objectum adæquatum voluntatis est bonum, seu appetibile (ut ostendimus articulo præcedenti, et de se constat) quia sicut se habet verum ad intellectum, ita bonum ad voluntatem. Bonum autem adæquate dividitur in bonum absolute, et in bonum relate, seu in bonum honestum, utile, et delectabile, quia inter esse tale absolute, vel respective, esse tale ratione sui, vel ratione alterius, non potest dari medium; ergo neque potest dari medium inter actum qui versetur circa finem, vel circa media. Patet consequentia, quia actus sequuntur sua objecta, nec potest dari actus medius nisi detur objectum medium, quia circa aliquid versatur ille actus, et illud aliquid, vel est finis, vel media, et habemus intentum; vel aliquid medium inter illa, et sic non dabitur actus medius inter illa objecta, nisi detur objectum me-

dium, vel si inter objecta non datur medium, neque inter actus. Antecedens autem constat, quia non datur medium inter bonum absolute, et relate, bonum honestum, utile, et delectabile. Bonum autem honestum, et delectabile, et bonum in se absolute est finis; bonum autem utile, et bonum relate est pertinens ad media; ergo si inter ista non datur medium, neque datur medium inter actum circa finem, et circa media.

IV. Et hinc sumitur alia ratio quasi a priori, quam tradit Cajetanus citatus, et impugnat Vazquez, videlicet quia appetibile per se, seu propter se, et propter aliud, includunt oppositionem contradictoriam, inter quæ non datur medium. Cujus propositionis non est sensus, quod res volita propter se sit negatio, et res volita propter aliud sit positivum, vel e contra, sed utrumque positivum est, ideoque dicit Vazquez illa duo non opponi contradictorie, sed contrarie, et quia res volita propter se non excludit quod sit volita propter aliud, nisi sit ultimus finis, qui non habeat alium priorem in ordine, ad quem sit volita. Constat autem præter ultimum finem dari alios fines intermedios, qui etiam propter se amantur. Sed tamen sensus Cajetani, et doctrina ejus vera est, quia licet utraque res volita tam propter se, et absolute, quam propter aliud, et relate sit aliquid positivum, tamen illæ conditiones, seu formalitates, propter se, et propter aliud, absolute, vel respective, implicite includunt contradictionem, ratione cujus inter hæc non datur medium, quia virtualiter sunt contradictoria, et hoc solum intendit Cajetanus. Et contradictio stat in hoc, quod se habent ut primum et non primum, ut absolutum ab aliis et non absolutum ab illis, sed respectivum, seu ordinatum

circa illa. Finis enim sive sit ultimus, sive non ultimus, in quantum finis, est volitus propter se, et ratione sui, et sic in ratione appetibilis, seu voliti habet rationem primi in ea linea, et genere in quo est finis, licet si finis intermedius sit, subordinetur alteri fini, a quo participat rationem finis, et consequenter rationem primi, quia finis est primum inter cæteras causas, licet non semper sit primus simpliciter, id est, omnibus modis, et in omni genere. Sicut rex est caput, et primus in regno, et in ratione gubernationis politicæ, licet non sit primus in omni genere, est enim subjectus Deo, et potestatibus spiritualibus. De ratione autem primi est dicere negationem prioris in ea linea, et ordine in quo est primum. De ratione vero medii est non negare prius, sed supponere, quia est quid posterius, et deductum a fine; ergo inter ista duo eadem contradictio involvitur, quæ inter primum. Et idem est de absoluto, et relativo, quæ virtualiter contradictionem involvunt, non quia in se positiva non sint, sed quia includunt contradictorias condiciones, videlicet ad se, et ad aliud, quia *ly* ad se, dicit separationem ab aliis, et negationem ordinationis erga aliud, quod tollit respectivum, seu quod est relate tale.

V. Objicies in primis fundamentum Scoti, quod affert Vazquez ubi supra: Potest aliquis diligere aliquod objectum, videlicet virtutis moralis non propter se, hoc est, ita ut in eo non constituat ultimum finem, quia nec diligit ipsum ut summum bonum, neque etiam ipsum actu refert in ultimum finem, nempe in Deum; ergo de tali objecto neque datur fruitio, neque usus, si quidem frui est ultimi finis, hoc est summi boni, vel veri, vel apparentis; usus autem est ejus, quod refertur in ultimum finem.

VI. Respondetur hoc argumentum peccare, tum in eo quod assumit; tum in eo quod præsupponit, et infert. Peccat in eo quod assumit, quia licet in mediis, vel finibus non ultimis non semper sit expressa, et actualis relatio in finem ultimum, est tamen semper aliqua virtualis, aut interpretativa, quatenus vel prior intentio, qua voluit quis finem ultimum manet, quia retractata non est, vel ex ipsa natura actus virtutis moralis fundatur ordo, seu habitus, et capacitas ad ultimum finem, id est, referibilitas ad ipsum. Ex hoc autem fit, quod quando procedit quis in actum virtutis moralis, hoc ipso quod procedit juxta naturam ipsius virtutis, et per modum electionis, procedit ex aliqua virtuali, vel interpretativa intentione, vel relatione in finem, et sic respectu talis finis, cui subordinatur ille actus habet rationem usus, loquendo generaliter de usu pro omni actu de re utili, seu de objecto subordinato, et relato ad alium finem, sive appetatur ut finis intermedius, sive ut medium utile. Peccat secundo in eo quod supponit dari solum fruitionem ultimi finis, non distinguens de fruitione completa, et perfecta, et de imperfecta, ut distinguit S. Thomas infra quæst. xi, art. iii. Cum enim frui dicatur correlative ad fructum, et fructus sit ultimum, quod producitur a planta, seu vivente, eo modo quo in aliquo invenitur ratio fructus, invenitur et ipsum frui. Quod ergo simpliciter, et complete est fructus, seu perfecte ultimum in quo quiescitur, est etiam simpliciter objectum fruitionis. Et sic fruitio perfecta, tantum est finis ultimi. Quod autem habet aliquam rationem fructus, licet non ultimi simpliciter et absolute, etiam est objectum fruitionis, licet non perfecte et simpliciter talis. Et sic finis intermedius etiam est objec-

tum fruitionis, licet non perfecte. Negamus ergo, quod in objecto virtutis moralis non inveniatur, aut usus eo modo quo invenitur electio, et subordinatio saltem virtualis ad finem ultimum, aut fruitio imperfecta, si consideretur ut finis intermedius. Et sic omnis actus, vel est circa media, vel circa finem licet non omnis sit circa finem ultimum. Et omnis actus est frui, vel uti, sumendo fruitionem, non solum pro perfecta, sed etiam pro imperfecta, et sumendo uti pro omni actu formaliter, vel virtualiter relato ad finem ultimum.

VII. Secundo objicies: Ex parte boni datur aliquid abstrahens a bono propter se, et bono propter aliud; ergo prout sic amari potest, et talis amor nec erit circa finem, nec circa media. Consequentia patet, quia si objectum abstrahit ab utroque, etiam actus, quia actus sequitur objectum. Antecedens autem constat, quia bonum potest concipi ab intellectu in universali, et abstracte, et sic proponi voluntati, et in tali statu amari, quia voluntas potest tendere in bonum universale; ergo in bonum sic abstractum. Confirmatur, quia ex parte actuum datur actus simplicis volitionis, qui nec est circa media, cum nondum supponat finem intentum, ratione cujus diliguntur media, non supponit autem finem intentum, quia simplex volitio est ante intentionem; neque est talis actus circa finem, quia finis est ratio volendi media, simplex autem volitio non est ratio volendi alia, quia hoc pertinet ad intentionem; ergo non versatur circa finem, ut finem, seu ut finalizantem. Et in hoc solent multiplicari aliqua exempla, quæ pertinent ad volitionem simplicem, et non versantur circa media, neque circa finem, verbi gratia martyres amabant vitam suam, quando exponebant illam, et

non volebant illam, neque ut finem neque ut medium. Non ut finem; quia non propter illam, sed propter Deum patiebantur: non ut medium, quia non utebantur illa, sed potius erogabant. Similiter Deus amat se ipsum antequam creaturas, et tunc nondum diligit se ut finem, quia nondum finalizat, nec diligit alia propter se: neque ut medium, quia non est aliquis alius finis ad quem se ordinet. Et idem est de scientia, et de vita, quas aliquando diligimus simplici affectu, et neque ut finem, neque ut medium.

VIII. Et confirmatur tandem, quia in intellectu potest dari actus, qui nec sit circa principia, nec circa conclusiones, verbi gratia propositiones singulares, quas intuitive videt intellectus, ut Petrus currit, Petrus est albus; neque enim respicit illas ut conclusiones, quia non infert illas ex aliis principiis; neque ut principia, quia ex illis non infert alias conclusiones. Ergo similiter in voluntate poterit dari actus, qui non sit circa finem determinate, neque circa media. Præsertim, quia non repugnat in eodem subjecto inveniri bonitatem finis, et medii, ut medicina, quæ in se est delectabilis, et est medium ad sanitatem. Ergo ista duo inter se non pugnant, quod videlicet idem objectum sit propter se volitum, et propter aliud; ergo idem erit in actu, quod unus et idem actus neque sit circa finem, neque circa media, et consequenter non est necesse, quod unum excludat alium.

IX. Respondetur quod dato, seu admissio, quod possit abstrahi una ratio boni a bono propter se, et propter aliud, quæ videtur esse analogica, si bonum propter aliud solum participative, et ex subordinatione ad finem bonum est, tamen illud bonum sic abstractum solum cognoscitur speculative, et quoad quidditatem, et hoc modo potest dari